

Iam, si forte nonnullis non adeo grata fuerit haec Iudaici Paschatos determinatio, aptam tamen iudicabunt, ad declarandas molestias, quae, propter lubrica ac superstitiosa, quibus nititur calculus principia, non possunt non cum insigni aliquo taedio coniunctae esse, imprimis apud intelligentiores, qui omnes determinandi festi Paschatos regulas ex interiore christiana religionis indole, ex maiestate reipublicae christianae, collata cum vagabundae nationis iudaicae obscuritate, nec non ex monumentis historiae ecclesiasticae accuratioribus atque veris originibus metus illius, propter quem determinationes festi Paschatos Christiani dicto modo excogitatae, diiudicant. Hinc quis mirabitur, B. *Lutherum* longe ante conditas Calendarii correcti atque Gregoriani formas optasse, ut principes Europae Pascha vnanimi consensu, certae diei adstringerent, qua probabilissime Christus a mortuis resurrexerit, quemadmodum cum festo natiuitatis Christi eiusque circumcisionis aliisque factum, atque hoc modo tandem finis imponeretur aeternis diffidiis de Paschate celebrando, quibus haecenus ecclesia christiana turbata fuit. Cui sententiae anno 1724 in dissertatione ad amplissimum senatum Basileensem *Io. Bernoullius* Geometra magnus subscripsit, operum omnium tom. IV. pag. 494, quamque nuperrime vir summe reuerendus *Io. Aug. Ernesti* in programmate, quo ad solemnia pro licentia capeffendi gradum doctoris, prid. Kal. Dec. 1775 inuitauit, more suo, h. e. tam validis ex historia ecclesiastica desumptis argumentis expoliuit atque commendauit, ut nullum sit dubium, quin eam, si nouam festum Paschatos determinandi rationem aggrederentur Potentissimi S. R. imperii Principes, probarent. Nobis autem, qui illustri corpori euangelicorum omnem in rebus ecclesiasticis potestatem, summa, qua decet, submissione tribuimus, in iis, quae 16 Aug. 1775 de festo Paschatos anni 1778 in 19 April. transferendo decreuit, plane acquiescendum,